

cere conatus est; ut unius linguae character, ad arbitrium variorum seculorum variatus, legi posset: id ipse in tot linguis praestitit; effecitque, ut, libri per exigui subsidio, Europæ, Asiæ, Africæque linguae legi queant pene omnes.

Jam quod *Versiones Orationis Dominicæ* attinet: ipsum vides *Mullerum* in vestibulo libri nominare omnes; qui ante ipsum easdem collegerant. Sed plerisque, quæ fuerant jam ab aliis editæ, accessere hicejus opera literæ ac characteres, quibus more gentium singularum linguae illæ scribi solent. Nam quod ipse in præfatione illam additionem *Barnimo Hagi*, nescio cui, tribuit. (id quod fecit etiam cum sub nomine *Thoma Lud.kenii Solquella-Marchici* easdem versiones, Berolini cl. Ic. LXXX, ederet) quem & in inscriptione Auctarii hic nominatum videmus: hoc nihil est; atque ipse Mullerus sub hoc nomine, incertum qua de causa, latere voluit. Quem etiam ea, quæ in notis ad *Orationis Dominicæ* versionem Sinicam, editam seorsim omnium primam, promiserat: hic præstitisse magna ex parte videmus. Tanti vero hæc versionum variarum collectio facta est ubique: ut non solum ob raritatem pretio insigni plerumque emta fuerit a curiosis; sed & in Anglia bis jam sit recusa quanquam, dissimulato *Mulleri* nomine. Equibus posterior editio, quod audio, lucem intra biennium proximum vidit. Quin etiam editor ille Anglus, (quod a Viro quodam erudito, natione Gallo, admonitus scribo) joculari prorsus errore editionem suam auxit. Nam quum Mullerus p. 17. post versionem *Biscainam* mentionem quoque fecisset *Berrensis*; atque id fecisset, sine dubio visa, vel audita, neque intellecta satis in inscriptione, qua novi fœderis Codex sumtibus Reginæ JOHANNÆ ALBRETIÆ HENRICI IV. matris Vasconice prodierat, appellatus *Testamentum Berri* i. e. *Testamentum Novum* (Nam *Berri* lingua veteri Vasconum sive *Biscaina* novum est) liber perrarus: primo impetu abreptus, hic novam sibi linguam aut dialectum invenire visus est. At editor ille Anglus, hoc errore nequaquam animadverso, ut rem dilucidius scilicet traderet, e *Berrensi* nobis etiam novam quandam *Bituricensem* confinxit. Major autem est harum versionum usus: quam censeri vulgo forte solet. Nam dum veluti in compendio linguarum plerarumque omnium sistitur specimen: faciliitas eruditis datur, non solum de harum omnium judicandi inter se affinitate; verum etiam de gentium ipsarum conjiciendi cognatione ac migrationibus. Neque sine causa adeo optare nobis videmur: ut & dialectorum, quæ reliquæ sunt, Tataricarum præcipue per Asiam, atque etiam